



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Distinctio Secunda. De Effectibus, ac Necessitate Sacramentorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

Et eo, qui
non tenetur
ex officio
ministrare
Sacramēta
An peccet
graviter,
qui alias
functiōnes
sacras exer-
cet in statu
malo?

Parocho; neque tale jus is amittere censetur ob sui Parochi malitiam: præsertim cum is, dummodo velit, possit se prius vel per Confessionem, vel saltem per Contritionem, restituere in statum gratiæ.

§ 7. Et hoc idem dicendum de eo, qui est expositus ad ministranda Sacramenta, quamvis ex officio eadem administrare non teneatur: nam is, si sit in statu peccati mortalis (quod tamen non facile præsumendum) sibi soli nocet.

§ 8. Quæritur III. An peccet graviter, qui alias functiōnes Ordinum exercet cum conscientia peccati mortalis: ut si Lector Lectionem, Subdiaconus Epistolam, vel Evangelium Diaconus, in tali statu solemniter canter; aut si Sacerdos Aquam Iustalem benedicat, SS. Eucharistiam de uno loco in alium transferat, vel Matrimonio assistat; seu Episcopus benedicat Sacras vestes, consecret Ecclesias, vel alia huiusmodi præstet? Resp. negativè: quia tales actiones neque sunt Sacramenta, neque immediatè ordinantur ad sanctificationem animæ. Bonacina cit. punct. 2, §. 1. Maltrius num. 42. & alij, paucis exceptis.

DISTINCTIO II.

De Effectibus, ac Necessitate Sacramentorum.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo Sacramenta conferant gratiam?

Effectus Sa-
cramento-
rum duplex,
Gratia, &
Character.

Post explicatam naturam, atque essentiam Sacramentorum novæ Legis, progrediendum est ad eorundem effectus declarandos (agendo simul de debitâ dispositione, ad consequendum effectum gratiæ Sacramentalis requiritâ) nec non explicandum singulorum Sacramentorum necessitatem. Et quidem, quantum ad primum attinet, duplex communiter statuitur effectus Sacramentorum, Gratia videlicet & Character. Horum prior per omnia Sacramenta dignè recipientibus ex opere operato confertur; posterior verò non nisi per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem: prout amplius in progressu dicetur, incipiendo à gratia sacramentali, utpote principali Sacramentorum effectui.

2. Ad-

2. Advertendum, quod gratia supernaturalis generatim dicitur in actualem, & habitualem. Gratia actualis est aliquid actuale auxilium Dei, quo ipse hominem ad bene agendum, & ad salutem suam procurandam admonere, & quantum est de se, promovere solet: cujusmodi gratia actualis, ad instar luminis partim illuminantis, partim calefacientis, duo complectitur, videlicet internam illustrationem intellectus, piamque motionem voluntatis, qua quis a Deo illuminatur ad cognoscendum id, quod est agendum vel fugiendum, & aliquo modo interius instigatur, & commovetur ad illud agendum vel fugiendum. Et tales gratiae actuales (quae alio nomine *Auxilia Dei actualia* vocantur) sunt innumeratae bonae inspirationes, piaque voluntatis affectiones, saepius nobis liberaliter & misericorditer a Domino Deo immixtae.

Gratia actualis, &

3. Gratia habitualis est habitus gratiae sanctificantis, per quam homo formaliter sanctus, justus, Deoque gratus redditur, etiam dum liberè nihil operatur. Et haec dicitur etiam *Gratia justificans*, seu *sanctificans*: quia est unica formalis causa justificationis impii, uti docet Concilium Trid. Sess. 6, cap. 7. Atque expellit formaliter ab homine omne peccatum mortale, cum quo defacto est impossibile: simulque constituit hominem esse filium Dei adoptivum, ac haereditatem vitae aeternae, si in ea finaliter decedat seu moriatur.

Gratia habitualis seu sanctificans, quid?

4. Caeterum omnis ea gratia, quae virtute Sacramentorum confertur homini ex opere operato, dicitur *Gratia Sacramentalis*, sive deinde illa sit gratia quaedam actualis, sive habitualis. Dicitur, *ex opere operato*: nam quando homini datur gratia propter propria sua merita, devotionem, actusque virtuosos, dicitur talis gratia conferri ipsi *ex opere operantis*. Ea vero gratia, quae virtute Sacramentorum homini rite disposito ultra gratiam suam devotioni, actibusque virtuosis correspondentem, ex meritis Christi confertur, dicitur conferri *ex opere operato*: qui modus ex opere operato conferendi gratiam dignè, seu absque obice peccati mortalis recipientibus Sacramentum, est proprius Sacramentorum. Et dicitur *ex opere operato*: quia ob infallibilem promissionem Divinam ea gratia confertur ex meritis Christi, ac virtute Passionis suae, quae jam sunt *opus operatum*. His suppositis sit

Gratia Sacramentalis, quae? Gratiam conferri ex opere operantis, & ex opere operato, quid?

5. CONCL. I. Omnia novae Legis Sacramenta conferuntur ex opere operato gratiam dignè sumentibus, seu non ponentibus obicem. Ita de Fide; estque non solum in Symbolo Niceno decretum per illa verba *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccato-*

Omnia Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato-

rato non
ponentibus
obicem.

Hanc cau-
fant non
physicè, sed
moraliter.

Ratio Con-
clusionis.

Sacramenta
præter gra-
tiam habi-
tualem,
conferunt
etiam a-
nuales.

catorum; sed etiam novissimè clariùs, & loquendo generatim de omnibus Sacramentis, definitum in Concilio Tridentino Sess. 7. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre &c. anathema sit.*

6. CONCL. II. Sacramenta gratiam illam, quam conferunt ex opere operato, non causant physicè, sed moraliter; id est, causant gratiam in tantum, quatenus ex Divina institutione, & pacto, quod in eorundem institutione Christi inivit cum genere humano, sunt signum infallibile, Deum efficaciter movens ad producendam gratiam, quam significant, intuitu meritorum ac passionis Christi, in animabus dignè suscipientium Sacramentum. Ita Scotus 4. dist. 1. q. 4. & 5. cum Scotitis, ac plures alij Theologi; quamvis nonnulli oppositum teneant, asserentes, Sacramenta gratiam etiam physicè causare, quod postmodum diversimodè explicant.

7. Probatur Conclusio ex eo: quia Sacramenta quæ talia, sunt quid morale; ergo etiam erunt causæ duntaxat morales, & non physicæ, ipsius gratiæ. Antecedens patet: quia Sacramenta dependent solum ex institutione Christi, à qua, & meritis ejusdem Christi Domini, totam suam vim, atque efficaciam causandi habent. Consequentia probatur: quia modus operandi sequitur modum essendi, eique conformatur; ergo, cum Sacramenta quæ talia sunt quid morale, etiam erunt tantum causæ morales ipsius gratiæ: eatenus videlicet, quatenus ex institutione Christi, ac virtute meritorum ejus, sunt signum efficax, atque infallibiliter movens Deum ad causandam gratiam in ritè suscipientibus Sacramentum. Accedit, quod omnes auctoritates SS. Patrum, & Conciliorum, asserentium, quod Sacramenta causent gratiam, optimè salventur per causalitatem eorum moralem.

CONCL. III. Per Sacramenta novæ Legis dignè recipientibus non tantum confertur gratia habitualis, seu sanctificans; sed præter eam, etiam virtute Sacramentorum, præstantur hominibus alia specialia gratiæ actualis auxilia, opportuna ad consequendos proprios fines singulorum Sacramentorum. Ita Theologi communiter. Ratio est: quia singula Sacramenta sunt à Deo instituta ob speciales suos fines; ergo etiam oportet, ut conferant specialia auxilia gratiæ actualis, quibus homo juvetur ad fines illos consequendos.

9, Hinc;

9. Hinc, quia per Baptismum spiritualiter regeneramur, ac in Christo vivere, ejusdemque Fidem profiteri incipimus: postmodum per alia Sacramenta juvamus ad hanc vitam spiritualem conservandam, & ad superandas varias difficultates in eâ occurrentes; prout declarabitur discurrendo de singulis Sacramentis.

10. Sic per Confirmationem, per quam roboramur & confortamur ad fortiter confitendam fidem in Baptismo susceptam: præter gratiam habituales, dignè summentibus conferuntur tempore opportuno specialia gratiæ actualis auxilia ad constantem in fide perseverandum, & quidem majora, quàm conferuntur virtute solius Baptismi.

11. Similiter per Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod est cibus spiritualis animæ, conferuntur specialia subsidia actualis gratiæ pro conservatione vitæ nostræ spiritualis; non minus, ac cibus corporalis vitam alit, & conservat corporalem. Unde juvat hoc Sanctissimum Sacramentum ad refræmandas inordinatas passiones, utputà iræ, invidiæ, luxuriæ, &c. præbendo multas particulares gratias auxiliantes, quibus debilitatur, atque moderatur prava inclinatio ad peccatum: simulque idem Augustissimum Sacramentum confert complura auxilia excitantia, & concomitantia gratiarum actualium, ad exercenda opera vitæ spiritualis, & diversarum virtutum; sicut cibus corporalis præbet vires ad exercendos actus vitales corporis.

12. Sicuti autem in vita corporali necesse est habere remedium contra morbum, ut si quis in morbum inciderit, sanetur: ita in vita nostra spirituali tale remedium, & quidem multo fortius, est Sacramentum Pœnitentiæ, quo non solum morbi, sed & ipsa mors animæ curatur, dum virtute ejus à morte spirituali, per peccatum mortale inductâ, resurgimus.

13. Sequitur Extrema Unctio, præter augmentum gratiæ habituales conferens homini dignè recipienti specialia auxilia, quibus infirmus juvetur ad fortius resistendum tentationibus in extremo vitæ articulo occurrentibus: simulque is in sua infirmitate alleviatur, quantum prodest saluti animæ suæ; juxta illud Jacobi c. 5. *Ungentes eum oleo in Nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

14. Per Sacramentum Ordinis, quod respicit totam Ecclesiam in suo Statu Hierarchico conservandam, atque ut sua singulis ministeria ad legitimum gubernamentum hujus Ecclesiæ

Uuuu

sticæ

lice Reipublicæ destinantur: conferuntur Ordinato pariter quædam specialia auxilia, ad dignè adimplenda Ministeria sacra cuiuslibet Ordini annexa.

Matrimo-
nio,

15. Tandem per Matrimonium, quo fit legitima propagatio generis humani ad Dei cultum, & conservationem Ecclesiasticæ Reipublicæ; ut id honestè ac decenter fiat, dantur Coniugibus Christianis specialia gratiæ auxilia ad piè degendam vitam conjugalem, ac sustinenda eius onera, prolemque rectè ac devotè educandam. Cæterùm huiusmodi specialia gratiæ auxilia, plura vel pauciora, conferuntur dignè suscipientibus Sacramentum juxta maiorem, vel minorem eorundem dispositionem, ac capacitatem, ut ampliùs dicitur *Quest. seq. n. 25.*

Q U Æ S T I O II.

An omnia Sacramenta conferant primam gratiam, aut æqualem in inæqualiter dispositis?

Sacramenta
mortuo-
rum, &

16. **A**dvertendum, quòd Sacramenta communiter dividantur in Sacramenta vivorum, & mortuorum. *Sacramenta mortuorum* sunt duo, videlicet Baptismus, ac Pœnitentia: quæ duo ideò sic dicuntur, quia per se (id est, ex vi primariæ institutionis suæ) sunt instituta ad conferendam primam gratiam; seu ad præbendam vitam spiritualem ijs, qui per peccatum mortale spiritualiter fuerunt mortui, quæ non confertur nisi mediante gratiâ sanctificante.

Sacramenta
vivorum,
quæ?

17. *Sacramenta vivorum* sunt alia quinque: quæ ideò sic appellantur, quia per se loquendo supponunt animam suscipientis iam esse constitutam in gratia sanctificante, quæ est vita animæ. Unde, ut quis ritè suscipiat unum horum Sacramentorum, requiritur, quòd sit in statu gratiæ (saltem quantum bonâ fide, ac inspectâ propriâ suâ conscientiâ existimat) quod non requiritur ad Sacramenta mortuorum: hæc enim ab existente in peccato mortali, præmissâ solâ attritione, ritè ac fructuosè recipiuntur. Quod ut clariùs intelligatur,

Gratia ha-
bitualis seu
sanctificans,
prima & se-
cunda, quæ?

18. Advertendum ulteriùs, quòd gratia habitualis, seu sanctificans (de qua *num. 3.* iam dictum) communiter dividatur in primam & secundam. *Gratia habitualis prima* aliud non est, quàm illa prima gratia sanctificans, quam homo in primo suæ justificationis instanti acquirit, ac per quam formaliter ab eo expellitur peccatum mortale. *Gratia secunda* dicitur omne augmentum

tum gratiæ sanctificantis: unde omnis illa gratia habitualis dicitur esse gratia secunda; quæ infunditur homini jam prius justificato, ac habenti in se aliquem gradum gratiæ. Sic dum peccator per Pœnitentiam justificatur, illa gratia habitualis, quam is in primo suæ justificationis instanti acquirit, dicitur *Gratia prima*: omnis autem gratia posterior, quam virtute bonorum operum subsequentiū, vel Sacramentorum dignè receptorum, ulterius acquirit, dicitur *Gratia secunda*; eò quòd sit augmentum prioris, ac secundo primū loco acquiratur. His prænotatis, sit

19. CONCL. I. Baptismus, & Pœnitentia, quæ dicuntur *Sacramenta mortuorum*, per se, ac ex vi suæ primariæ institutionis, conferunt primam gratiam sanctificantem; quamvis, si hæc jam præfuerit in anima, per accidens conferant solum augmentum gratiæ. Ita communis Theologorum. Ratio primæ partis est: quia Baptismus primariò, & principaliter, est institutus à Christo Domino in ordine ad remissionem peccati originalis; Sacramentum autem Pœnitentiæ in ordine ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi: atqui talium peccatorum remissio non fit absque infusione primæ gratiæ sanctificantis; ergo dicta Sacramenta per se conferunt primam gratiam.

Baptismus & Pœnitentia, per se conferunt primam gratiam.

20. Altera pars ex eo patet; quia prædicta Sacramenta dignè recepta conferunt suscipientibus ex opere operato gratiam sanctificantem; ergo, si recipiens jam prius est justificatus, non possunt primam, sed duntaxat secundam gratiam conferre, hoc est, augmentum primæ gratiæ sanctificantis tribuere.

Per accidens quantum eundem.

21. CONCL. II. Reliqua quinque novæ Legis Sacramenta, videlicet Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium, per se, ac ex vi suæ primariæ institutionis non conferunt primam gratiam; sed principaliter instituta sunt ad conferendam secundam gratiam, sive augmentum ejus. Ita communis. Hac enim de causa ea appellantur Sacramenta vivorum, ac præsupponunt vitam animæ, quæ habetur per inexistentem gratiam sanctificantem.

Alia r. Sacramenta per se conferunt secundam.

22. Hinc sequitur, quòd, si quis scienter in peccato mortali exiens, accedat ad unum illorum quinque Sacramentorum cum sola attritione cognita; ipse non solum per susceptionem talium Sacramentorum non justificetur, neque recipiat

Corollarium.

U u u u 2

piat

piat primam gratiam (quod tamen fieret virtute Sacramenti Baptismi in necdum baptizatis, & Poenitentiae in relapsis post Baptismum, praevia attritione recepti) sed potius de novo gravissimè peccet, atque committat peccatum Sacrilegij.

De peracci-
dens quan-
doque pri-
mam gra-
tiam.

23. Concl. III. Nihilominus praedicta quinque Sacramenta vivorum per accidens quandoque possunt conferre primam gratiam. Ita communis Theologorum, dempto Sacramento Eucharistiae, de quo, cum sit institutum per modum cibi & potus, qui mortuis non prodest, nonnulli Theologi tenent oppositum. Declaratur in primis Conclusio. Sic etenim, si quis bonâ fide existimet, se esse in statu gratiae, cum tamen reverà habeat occultum peccatum mortale, cujus non recordatur, & cum sola attritione accedat ad unum Sacramentum vivorum, illudq; recipiat; talis vi Sacramenti justificatur, ac recipit primam gratiam, saltem per accidens. Probatur hoc, simulque posita Conclusio. Quia juxta Concilium Trident. Sess. 7. can. 6 & 7. omnia Sacramenta novae Legis habent vim conferendi gratiam non ponentibus obicem: atqui talis homo bonâ fide accedens, & cum attritione de commissis suis peccatis, jam non ponit obicem; ergo. Minor patet in Sacramento Baptismi, & Poenitentiae: simulque ex eo, quis ob suam bonam fidem nullius peccati mortalis sibi conscius est; ergo recipiet gratiam vi Sacramenti: Haec autem, cum nulla prior infuerit, non secunda, sed prima gratia sanctificans erit.

Cur hoc fiat
per acci-
dens?

24. Dicitur notanter in Conclusionem, *per accidens quandoque &c.* Siquidem ab hisce Sacramentis vivorum, in casu posito, per accidens tantum conferetur prima illa gratia sanctificans, eò quòd ipsa per se & primario à Christo Domino non sint instituta ad primam gratiam conferendam; sed solum hanc conferre possint in casu extraordinario, & accedente bonâ fide suscipientis, putantis se esse in statu gratiae, cum tamen non sit ob occultum peccatum mortale: quod totum fit per accidens.

Sacramenta
conferunt
majorem
gratiam
magis di-
posito;

25. Concl. IV. Sacramenta ejusdem rationis conferunt majorem gratiam magis disposito, quàm alteri minùs disposito: & quidem maior illa gratia conferetur magis disposito partim ex opere operantis, ac virtute illius boni motus interioris, quo facta est major ejusmodi dispositio; partim vi Sacramenti, atque ex opere operato. Prima pars est certa, ac extra controversiam: nam utique major illa dispositio ac praeparatio, pro-
me.

meretur majorem gratiam ex opere operantis ; eum hoc ipsum generaliter fiat in omnibus pijs actibus justorum.

26. Alteram partem Conclusionis, quod etiam vi Sacramenti, sicque ex opere operato, conferatur major aliqua gratia magis disposito, ait Suarezius *part. 3. tom. 3. disp. 8. sect. 5. concl. 3.* esse communem Theologorum sententiam ; & colligitur ex Concilio Trident. *Sess. 6. cap. 7.* dicente, quod in justificatione, quæ fit in Baptismo, *Justitiam recipiat unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum cujusque dispositionem & cooperationem*; ergo, si Sacramenta conferunt gratiam secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem, conferunt majorem magis disposito, quam minus disposito. Accedit ratio desumpta ex congruentijs. Siquidem videtur spectare ad suavem Dei providentiam, ac sapientem, justissimamque distributionem, ut melius disposito virtute Sacramentorum major conferatur gratia : simulque fuit hoc expediens, ut homines excitarentur ad recipienda Sacramenta cum majori devotione, ac reverentiâ, propter spem majoris fructus spiritualis.

Etiã ex opere operato

QUÆSTIO III.

Qualis requiratur dispositio ad fructuosè recipienda Sacramenta, & præsertim SS. Eucharistiam ?

72. **C**ONCL. I. Ad recipienda Sacramenta mortuorum, nempe Baptismi & Pœnitentiæ, requiritur in adultis, conscientiam peccati mortalis habentibus, contritio, vel saltem attritio. Ita communis Theologorum ; atque desumitur ex Concilio Trident. *Sess. 14. cap. 4.* ubi dicitur : *Docet præterea sancta Synodus, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum (Pœnitentiæ) actu suscipiatur : ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & penarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccati excludat cum spe veniæ, declarat, donum DEI esse &c. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum*

Ad Sacramenta mortuorum recipienda, sufficit attritio de peccato mortali.

Uuuuu ; ad

ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Ha-
tenuſ Concilium.

Pro Sacra-
mentis vi-
vorum re-
quiritur
ſtatus gra-
tiæ.

Corollariũ.

28. CONCL. II. Ad recipienda ritè & fructuoſè Sacramenta
vivorum, qualia ſunt alia quinque, requiritur per ſe loquendo ſta-
tus gratiæ. Patet hoc totum ex dictis *Queſt. præced. n. 21. & 22.*

29. Unde, ſi quis ſit ſibi conſcius peccati mortalis, & velit
ſuſcipere Sacramentum Confirmationis, Extremæ Unctionis,
Ordinis, vel Matrimonij, tenetur iſ priùs vel per actum contri-
tionis perfectæ, vel per præmiſſam Confessionem, ac ſuſceptum
ſaltem cum attritione Sacramentum Pœnitentiæ, ſe in ſtatum
gratiæ reſtituere. Et quidem ob majorem difficultatem in eli-
cienda perfecta contritione communiter ſolet præmitti, atque
ut præmittatur, ſuaderi Confefſio Sacramentalis; quamvis in
dictis quatuor Sacramentis jam ſufficeret Contritio perfecta. Ve-
rùm loquendo de Euchariftia, ſic

Addignam
Euchariftiæ
receptionem
debet præ-
mitti Con-
feſſio de
peccato
mortali.

30. CONCL. III. Ad dignam Auguſtiſſimi Euchariftiæ Sa-
cramenti ſuſceptionem, quando quis ſibi conſcius eſt alicujus pec-
cati mortalis, omninò requiritur, ut præmittatur Confefſio Sa-
cramentalis de tali peccato mortali habitâ copiâ Confefſarij, nec
ſufficit Contritio. Ita communis; atque deſumitur ex verbis
Apoſtoli, *1. Corinth. 11.* ubi de ſuſcepturis hoc SS. Sacramentum,
ait: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat;
qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit,
non dijudicans corpus Domini.*

Textus no-
tabilis Con-
cilij Trid.
circa hoc.

31. Idipſum expreſſè declarat Concilium Trid. *Seſſ. 13. cap.
7. & can. 10.* Verba ejus in *cit. cap. 7.* ſunt ſequentia, ac benè no-
tanda. *Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præ-
ceptum: Probet ſe ipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat,
eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis,
quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confefſio-
ne ad ſacram Euchariftiam accedere debeat. Quod à Chriſtianis omnibus,
etiam ab iſ Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc Sancta
Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confef-
ſoris: quòd ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confefſione celebra-
verit, quamprimùm conſiteatur.* Haſtenuſ Concilium.

Mandatum
ejus cele-
brantibus
injunctum
quampri-
mùm con-
ſitendi.

32. Notent hoc benè Sacerdotes, quotidie vel ſaltem sæ-
piùs per hebdomadam celebraturi: ſimulque ſciant, cùm circa
ultima citati Concilij verba, *Quamprimùm conſiteatur*, diverſæ in-
ter Theologos fuiſſent ſubortæ ſententiæ, atque interpretationes,
Alexandrum VII. ſequentes duas Propositiones damnâſſe. Pri-
ma,

ma,

ma, & ordine 38. sic habet: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.* Secunda, & ordine 3. sic sonat: *Illis particula, Quamprimum, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* Verum occasione præmissorum,

33. Quæres, quid per *ly, Quamprimum confiteatur*, in citatis verbis Concilij Tridentini intelligatur: Resp. I. Quantum ad dictam clausulam explicandam, olim variæ extiterunt sententiæ: nam nonnulli eam explicarunt in sensu apertè enervante vim præcepti, prout liquet ex relatis duabus Propositionibus damnatis: alij econtrà mandatum illud intellexerunt in toto rigore, quasi statim post missam teneatur Sacerdos celebrans, si possit, confiteri. Et hæc posterior sententia utique in praxi saluberrimè practicatur, ut sic conscientiæ, & puritati Sacerdotum celebrantium amplius consulatur; eò præferim, quia Rubricæ Missalis, *Tit. De Defectibus dispositionis animæ*, sic habent: *Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, si conteratur: debet tamen, cum primum poterit, confiteri.* Verum hic rigor, etsi in specialibus circumstantijs sit observandus, non tamen semper sub præcepti distinctione obligare videtur, sed opus est distinctione.

34. Resp. II. Quando hodie post Missæ Sacrificium, præmissâ contritione, ut supra, peractum, occurrit copia Confessarij, & non sit certum, an sequenti die; quo rursus celebrare teneberis, sis habiturus copiam Confessarij, teneris hodie confiteri. Ita Lugo *disp. 14. de Eucharist. sect. 7. num. 162.* Herincx *disp. 6. de Euchar. quest. 6. num. 81.* rectè hoc extendens ad casum, quando sequenti triduo non putatur ad futura occasio confitendi; & alij. Ratio est: quia neglectâ isthac copiâ confitendi, vel daretur nova causa iterum celebrandi sine Confessione; vel non confitendi *quamprimum*. Atqui horum utrumque directè est contra finem, atque intentum Concilij Tridentini; ergo.

35. Resp. III. Seclusis prædictis, & alijs specialibus circumstantijs, ac si quis interea non est denuò celebraturus, sive communicaturus, memorato præcepto Ecclesiastico Concilij Tridentini satisfacere videtur, qui intratriduum confitetur. Ita Herincx ibidem, asserens, cit. *ly, quamprimum confiteatur*, hoc modo communiùs explicari; Lugo, Sannig, & alij. Ratio est: quia hujusmodi dictio est moraliter, & civili modo intelligenda:

neque

Hoc *ly,*
Quamprimum
confiteatur,
Quid im-
portet?

Quandoq;
obligat ad
statim con-
fitendum.

Alioquin
extenditur
ad triduum.

neque ly, *quamprimum*, aliud importare videtur, quam ly, *illico*, quod in Jure (nisi secus subiecta materia exoptulet) ad triduum extenditur, arg. l. *Cum specialis. C. de Judicijs*, ibi: *Illico autem, id est, intra triduum proximum sine ulla dilatione*. Et L. ult. C. de *Errore Advocat.* ibi: *Palam ex continenti, id est, triduo proximo*, cum concordantijs.

Quid, si
quis jam
confessus,
oblitus fuit
peccati
mortalis?

36. Quæritur II. Quid juris, quando quis jam semel confessus est, sed inculpabiliter oblitus alicujus peccati mortalis? Resp. Per se loquendo, ac seclusis specialibus circumstantijs, quæ ipsum excusare possunt, talis obligatur confiteri peccatum mortale necdum in Confessione depositum, antequam communicet, vel celebret. Ita Reginaldus *lib. 25. n. 105.* Herincx *loc. cit. num. 75.* & Lugo *num. 151.* addens, talem, si est Sacerdos celebrans in casu necessitatis præviâ contritione, etiam comprehendendi sub præcepto Concilij Tridentini ad *quamprimum* postea confitendum: quamvis nonnulli apud Henriquez *lib. 8. cap. 46.* teneant oppositum, eò quòd talis jam sit iustificatus per Confessionem præviâ; quorum sententiam speculativè loquendo non esse improbabilem, censet etiam Joan. Bosco *part. 2. Theol. Sacrament. disp. 4. sect. 10. concl. 7.* Ratio autem nostræ responsionis est: quia præceptum præmittendæ Confessionis ante Communionem, non obligat ad quomodocunque confitendum; sed simpliciter ad confitenda omnia peccata mortalia, quorum quis sibi conscius est.

Solvitur
instantia.

37. Nec obstat, quòd talis vi Sacramenti Pœnitentiæ jam sit iustificatus, eique saltem indirectè remissum peccatum mortale, ob ignorantiam invincibilem, aut inculpata oblivionem non confessum. Resp. enim, omnia peccata mortalia, quorum quis sibi conscius est, ante Sacram Communionem directè subicienda esse clavibus Ecclesiæ, habitâ copiâ Confessarij; prout indicat Concilium Tridentinum *loc. cit.* allegans verba Apostoli *1. Corinth. 11.* Ex quibus communior Doctorum infert, hoc esse præceptum Juris Divini, & non tantum Ecclesiastici: unde non sufficit sola absolutio indirecta. Et reverà, si quis pro prima vice posset in dicto casu communicare, vel etiam celebrare, posset etiam pro secunda & tertiâ vice, imò toties, quoties vellet, idiptum facere absque nova præviâ Confessione, donec incidat in novum peccatum mortale: quod planè repugnat communi sensui Fidelium.

38. Dici-

38. Dicitur notanter num. 36. *per se loquendo*, ac *seclusis specialibus circumstantiis*. Nam si quis non amplius habeat copiam Confessarij, urgeatque necessitas celebrandi, vel communicandi; aut si quis jam ad linteum communicantium positus recorder peccati mortalis, quod oblitus erat confiteri. nec inde si nota vel scandalo gravi amplius recedere possit, talis non peccat communicando. Et hoc, etiamsi non eliciat de novo Contritionem: quia peccatum illud jam est remissum, saltem indirectè, vi prævix Confessionis bonâ fide peractæ; simulque talis à facienda nova Confessione excusatur ob defectum Confessarij.

39. Quòd si verò vel non desit copia Confessarij, vel saltem non urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi, stante conscientia peccati mortalis necdum confessi abstinendum erit à Celebratione, vel Communione, donec præmittatur Confessio; ut notat Scotus in 4. dist. 9. *quaest. un.* Navarrus *cap. 21. Manual. n. 49.* & communis.

40. Censetur autem deesse copia Confessarij, quando vel absolutè deest, cui possit Confessio fieri: vel quando is ex malitia, aut alio capite non vult, vel non potest audire Confessionem; aut quia caret jurisdictione; vel etiam, quando poenitens rationabiliter timet sibi grave detrimentum, utputà revelationem Sigilli, vel aliud notabile damnum à Confessario inferendum, & hujusmodi.

41. Quantum autem Confessarius debeat distare, ut censetur ejus esse defectus, non potest certa regula statui, sed id determinandum est à varijs circumstantiis, prudenti judicio ponderandis. Generatim duntaxat dici potest, tunc deesse copiam Confessarij, quando ob infirmitatem, difficultatem itineris, brevitate temporis, vel alia occurrentia negotia, aut hujusmodi, sine gravi incommodo, hic & nunc haberi non potest. Ita Lugo *n. 82. & seqq.* Herincx *n. 80.* Reginaldus *n. 108.* & alij.

42. Quæritur III. An hoc præcepto confitendi *quamprimum* teneatur Laicus, qui in casu necessitatis communicavit sine Confessione, sed cum contritione? Resp. negativè. Ratio est: quia præceptum confitendi *quamprimum* Sacerdotibus, ut supra, celebrantibus incumbens, non est Juris Divini (nam præceptum Divinum non obligat ad confitendum post Communionem, sed ante eam, dummodò habeatur occasio confitendi) sed est præceptum merè Ecclesiasticum, jure novo Concilij Trid.

Xxxxx Cele.

Limitatur hoc in casu necessitatis.

Quid si non adsit necessitas celebrandi &c.

Copia Confessarij, quando deesse censetur?

Quid, si is distet?

Dicto præcepto confitendi quamprimum, an teneatur Laicus?

Celebrantibus impositum ; atqui Concilium Trid. nullam facit mentionem Laicorum, sed duntaxat Sacerdotum celebrantium ; ergo ejus præceptum non est extendendum ad Laicos. Ita Bonacina *disp. 2. de Eucharistia, quest. 6. punct. 1. num. 37. & 40.* hoc etiam extendens ad Sacerdotem in casu necessitatis more Laicorum communicantem, cum Tridentinum loquatur solum de Sacerdotibus celebrantibus : Suarez, Reginaldus, alique ; quavis non desint oppositum tenentes.

Ac Sacerdos indignè celebrans ?

43. *Quæritur IV.* Utrum Sacerdos malitiosè celebrans in statu peccati mortalis, teneatur vi præfati præcepti ad confitendum quamprimùm ? Resp. negativè : nam hic non celebravit urgente necessitate, atque præmissâ contritione (de quo casu loquitur Concilium Trid.) sed ex malicia ; ac proinde celebrando, jam gravissimè peccavit. Bonacina *ibidem n. 38.*

Q U Æ S T I O IV.

De Characterè ; ubi & de Sacramentis cum Fictione susceptis.

Ratio ordinis,

44. **P**ost explicatum principalem Sacramentorum effectum, qui est Gratia, pergendum ad alterum ipsorum effectum minùs principalem, qui est Character. De quo loquendo, sic

Character, quid ?

45. *CONCL. I.* *Character*, quantum ad propositum, est signum spirituale, impressum à Deo animæ suscipientis Sacramentum non iterabile. Ita Scotus *4. dist. 6. quest. 9.* estque in re communis. Ejus frequens mentio est apud SS. Patres, ac etiam in S. Scriptura ; ut 2. Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos.* Et Ephes. 1. *In quo signati estis Spiritu promissionis sancto.*

Tria Sacramenta imprimunt Characterem :

46. *CONCL. II.* Tria sunt Sacramenta, quibus talis Character indelebilis imprimitur, videlicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo : quæ proinde Sacramenta iterari non possunt. Ita de Fide ; habeturque definitum in Concilio Florentino, in Decreto Unionis, ac novissimè in Trident. *Sess. 7. can. 9.* his verbis : *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt : anathema sit.*

Et cur hæc ?

47. Cur autem hæc tria Sacramenta imprimant Characterem, & non alia quatuor, causa primaria est voluntas DEI, ac Christi-

Christi ita instituentis; quæ nobis sufficienter constat ex perpetua traditione, atque auctoritate Ecclesiæ. Accedit congruentia, quam Doctor Subtilis 4. dist. 6. quest. 10. desumit ex Politia humana, in qua diversi Ministri, in Familia cujuscumque magni Principis constituti, diversis, certisque Insignijs notantur, quibus eorum munus dignoscatur, atque ipsi inter se assimilantur, & ab alijs distinguantur: unde congruum fuit, ut simile quid fieret in Aula Summi Regis Christi JESU.

48. Hinc, quia per Baptismum assumitur quis in Familiam, seu Ecclesiam Christi, ejusque Servus incipit esse; accipit is in anima sua Characterem, quo denotatur esse Servus Christi, & convenit cum reliquis Christianis, differt autem ab Ethnicis, & Judæis. Idem contingit in Confirmatione, qua quis inungitur in Militem Christi ad fortiter defendendam, & confitendam Fidem ejus: atque in Sacramento Ordinis, quo quis deputatur in Ducem, ac unum ex Magistratu Familiæ Christi, seu Dispensatorem Mysteriorum DEI.

49. Quia verò per reliqua Sacramenta non deputatur homo ad speciale munus in Ecclesia, seu Familia Christi peragendum (sicut neque id accidit in Familia terreni Regis, ex eo, quod quis comedat & bibat, aut ipsi offento reconcilietur; vel à morbis curetur, aut per generationem personas in ejus Familia multiplicet) hinc congruum fuit, ut reliqua quatuor Sacramenta Characterem non imprimerent.

50. CONCL. III. Character, qui per prædicta tria Sacramenta imprimitur, ita est signum indelebile impressum animæ susceptible, ut neque in morte hominis deleatur. Ita communis Ratio est: quia alioquin à SS. Concilijs Generalibus non posset dici absolute esse *Signum indelebile*. Hinc

51. Infertur, quod Character Sacramentalis remaneat in animabus Beatorum in cælis existentium, & quidem ad majorem eorundem gloriam, saltem accidentalem. Quinimò remanet quoque in animabus Damnatorum, quamvis ad majorem ipsorum confusionem. Infertur ulterius, si quis ritè baptizatus, confirmatus, aut Ordine v. g. Sacerdotali initiatus moriatur, atque miraculosè à mortuis resuscitetur, eundem non posse amplius licitè, aut validè baptizari, confirmari, aut denuò in Sacerdotem ordinari: remanet enim in ejusdem anima Character indelebiliter, unde nec dicta Sacramenta amplius reiterari

Videlicet
Baptismus,
Confirmatio, & Ordo:

Et non alia
imprimant
Characterem?

Character
nec in morte
deletur.

Corollarium
notabile.

Xxxxx 2

poi-

possunt. Sed occasione dictorum, & quoad alteram partem

Questionis,

Fictio in
proposito,
quid?

52. Quæres: utrum Sacramenta, præsertim imprimentia Characterem, & fictè suscepta, recedente Fictioe conferant suum effectum gratiæ? Ubi notandum, quòd *Fictio* hic non accipitur pro defectu interioris intentionis suscipiendi Sacramentum: ut si quis simulatè accedens, permitteret se exterius aquà abluì, internùs autem nollet suscipere Baptismum. Certum quippe est, tale Sacramentum invalidè suscipi, ob defectum intentionis; ac proinde Baptismum sic susceptum nec imprimere Characterem, nec unquam postea habere effectum gratiæ ex opere operato consequendæ. Igitur in proposito, juxta receptam phrasin Theologorum, *Fictio* accipitur pro indispositione recipientis, effectum Sacramenti impediente, dum cæteroquin Sacramentum est validum. Nam etiam ille, qui suscipit Baptismum v. g. cum vera intentione, sed sine debita dispositione, committit quandam Fictionem, dum exterius ostendit, se recipere Sacramentum cum legitima dispositione, qua tamen internùs caret. Unde de tali verificatur illud Sapient. 1. *Spiritus sanctus discipline effugiet fictum.*

Fictio ne-
gativa &
positiva,
quæ?

53. Porro hujusmodi *Fictio*, seu indispositio recipientis, atque obex impediens effectum Sacramenti, adhuc duplex esse potest. Una *negativa*, & absque peccato: ut dum quis ad Sacramentum accedit indispositus, hoc tamen vincibiliter ignorat; atque ideo in ejus receptione non peccat. Alia *positiva*, & cum peccato: ut cum quis scienter recipit Sacramentum indispositè, sicque illud recipiendo peccat. Hoc prænotato,

Baptismus
fictè susce-
ptus, recedente fictio-
ne confert
effectum?

54. Resp. I. Baptismus fictè susceptus, recedente per veram poenitentiam Fictioe confert effectum suum; ac proinde effectus gratiæ sanctificantis, si propter obicem peccati mortalis, vel indispositionem suscipientis, tempore suscepti Baptismi impeditus fuit, remoto obice postmodum confertur. Ita communis Theologorum; estque expressa sententia D. Augustini lib. 1. de Baptismo cap. 12. ac refertur can. *Tunc valere. de consecr. dist. 4.* ubi ait: *Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, qua corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.*

Similiter &
Confirmatio,
& Ordo.

55. Resp. II. Etiam Confirmatio, & Ordo, veluti Sacramenta Characterem imprimentia, & irreiterabilia, si fictè seu in-

indispositè recepta sint, conferunt effectum gratiæ Sacramentalis recedente Fitione. Ita communior, & probabilior Doctorum, quamvis non desint oppositum tenentes. Ratio est: quia non videtur esse major ratio de Baptismo, ac de hisce duobus Sacramentis: utpote cum quodlibet horum imprimat Characterem, sitque amplius irreiterabile; & alioquin recipiens, teneretur carere effectu ipsorum in perpetuum. Accedit, quòd Confirmatio sit veluti perfectio, & consummatio Baptismi, arg. *e. De his. de consecr. dist. 5.*

56. Resp. III. Alia quatuor Sacramenta, si cum Fitione positivâ, novòque peccato sacrilegè recipiantur, recedente Fitione non conferunt effectum suum gratiæ sanctificantis. Disparitas inter isthæc, & priora, est: quia hæc Sacramenta non imprimunt Characterem, possuntque iterari, ac sæpius recipi; sicque eorum effectus alio tempore acquiri. Quinimò specialiter loquendo de SS. Eucharistiæ Sacramento, dicitur 1. Corinth. 11. *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit.*

quid de alijs quatuor Sacramentis?

57. Additur, cum Fitione positivâ. Nam, si recipiatur Sacramentum cum Fitione negativa (hoc est, prætermittendo debitam dispositionem inculpabiliter, & sine peccato, v. g. ex casu inopinato, aut inadvertentiâ, nullam præmittendo attritionem) multi Doctores sunt, arbitantes, hujusmodi Sacramenta conferre effectum suum recedente per veram dispositionem Fitione: cum hoc videatur conformius infinitæ Bonitati Divinæ. Bonacina *disp. 1. de Sacramentis, quest. 6. punct. 3.* Suarez, Cajetanus, & alij; quamvis hoc ipsum à non paucis vel negetur, vel in dubium revocetur.

Præsertim cum fitione negativa receptis?

QUÆSTIO V.

An, & quomodo singula Sacramenta sint necessaria ad salutem?

58. **E**st hic recolendum ex jam alibi (b) dictis, quòd, quantum ad salutem animæ consequendam, communiter duplex à Theologis distinguatur necessitas, una medij, altera præcepti. *Necessitas medij* illa dicitur, qua quidpiam ita est necessarium ad consequendum finem, v. g. æternam salutem, ut sine eo non possit ullatenus finis obtineri: sic gratia san-

(b) T. r. 4. Dist. 2. v. 1. Necessitas medij, &

X x x x 3

ctifi-

Necessitas
præcepti,
quid?

ificans est necessaria respectu Vitæ æternæ; item & Baptismus in statu Legis Evangelicæ, quia defecto sine ipso, etiam si ignorantia, vel impotentiâ, aut inculpabili oblivione prætermittatur, Salus æterna non obinetur. *Necessitas præcepti* ea est, quæ aliquid sub obligatione cuiuspiam præcepti necessariò præstandum est ad salutem consequendam, eò quòd aliàs quis mortaliter peccaret, sicque æternam Salutem amitteret; quamvis, si ex ignorantia, vel impotentiâ, aut oblivione inculpabili id fortè prætermittatur, non impediatur æternæ Vitæ consecutionem: sic necessaria est ad salutem observantia mandatorum.

Baptismus
est necessa-
rius necessi-
tate medij,
& præcepti.

59. CONCL. I. Baptismus in statu Legis Evangelicæ non solum est necessarius ad salutem necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij. Ita certa, & communis Theologorum. Et quidem necessitate medij Baptismus est necessarius respectu omnium hominum, etiam parvulorum: quia nullus sine ipso potest Vitam æternam consequi, licet ex ignorantia, vel impotentiâ invincibili non baptizetur; prout contingit in parvulis, sine Baptismo, cum solo peccato originali, in utero materno decedentibus. Necessitate verò præcepti Baptismus est necessarius solum respectu adultorum, non autem parvulorum: nam adulti tantum sunt præcepti capaces, ac proinde peccant, si oblata opportunitate negligant recipere Baptismum. Secus est de parvulis: qui proinde, si moriuntur sine Baptismo, non damnantur propter transgressionem Legis de recipiendo Baptismo, sed solum propter culpam originalem, quæ defectu Baptismi non fuit in ipsis deleta.

Loquendo
de Baptis-
mo in re, vel
saltem in
voto.

60. CONCL. II. Nihilominus ea, quæ dicta fuerunt de necessitate Baptismi, sunt intelligenda, de Baptismo in re, vel saltem in voto suscepto. Ita omnes Catholici; & constat ex definitione Ecclesiæ, ac unanimitate SS. Patrum consensu. Sic enim *c. Baptismi vicem. de consec. dist. 4. & cap. Apostolicam. de Presby. non baptizato*, dicitur, quòd, quando deest possibilitas recipiendi Baptismum in re, possit homo salvari per Baptismum in voto susceptum. Idem habetur in Concilio Trid. *Sess. 6. c. 4.* ubi illa sententia Salvatoris, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, Joan. 3. explicatur de Sacramento Baptismi in re, vel in voto suscepto.

Baptismus
fluminis,

61. Unde celebris est illa divisio Baptismi apud SS. Patres, & Theologos, in Baptismum fluminis, fluminis, & sanguinis. *Baptismus fluminis* est Sacramentum Baptismi in re ipsa susceptum, seu

seu in aqua cum debita verborum forma collatum. Et hic Baptismus est primum Sacramentum novæ Legis, & fundamentum aliorum Sacramentorum; adeò, ut eo non suscepto cætera Sacramenta validè & fructuosè non recipiantur. Hinc si quis non actu Baptizatus in aqua, ordinaretur in Sacerdotem, invalida foret talis Ordinatio; non obstante, quòd is forsan per Baptismum flaminis (qui Sacramentum non est, etsi in casu necessitatis suppleat vicem Baptismi, quantum opus est ad consequendam gratiam justificantem, & Vitam æternam) antea fuisset justificatus: ac proinde deprehenso errore, talis foret in aqua baptizandus, & rursus ordinandus; prout expressè habetur *cit. c. Apostolicam. De Presbyt. non baptiz.* Nam Baptismus fluminis, qui solus ex dicto triplici Baptismo Sacramentum est, cæterorum janua existit.

62. Baptismus flaminis aliud non est, quàm contritio perfecta hominis, includens propositum servandi omnia præcepta, & consequenter etiam votum recipiendi Baptismum aquæ, seu Sacramentum Baptismi in re necdum receptum. Porro, quòd Baptismus flaminis suppleat Sacramentum Baptismi, quantum ad effectum gratiæ sanctificantis, atque remissionem peccatorum, Vitamque æternam consequendam, si desit occasio recipiendi Sacramentum Baptismi in re: patet non solum ex definitione Ecclesiæ, & communi SS. Patrum consensu, sed insuper demonstratione ex illis S. Scripturæ locis, in quibus promittitur justificatio, & peccatorum remissio, hominibus verè poenitentibus. Sic quippe dicitur Ezech. cap. 18. *Si egerit poenitentiam impius, vitæ vivet; & non morietur, cum concordantijs.*

63. Baptismus sanguinis aliud non est, quàm Martyrium sup-
plens defectum Baptismi aquæ. Et additur, *supplens defectum Baptismi aquæ*: quia, si quis jam baptizatus Martyrium sustineat (vel habeat contritionem perfectam) is propriè non habet Baptismum sanguinis, & flaminis; cum non possit amplius includere votum recipiendi Baptismum aquæ, eò quòd istud Sacramentum sit irreiterabile.

64. Cæterum, quòd Martyrium suppleat defectum Sacramenti Baptismi, quando deest possibilitas hoc recipiendi, patet ex illa generali promissione Christi, Matth. 10. *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam, & alibi.* Imò hoc adeò verum est, ut Martyrium etiam in parvulis (qui tamen proprium actum, quo Martyrium propter Christum acceptent, habere non possunt.

Baptismus
flaminis, &

Baptismus
sanguinis,
quid?

Martyrium
supplet vicem
Baptismi.

sunt) suppleat vicem Baptismi: nam ipso opere perdunt animam suam propter Christum, atque ad instar Innocentium Martyrum, ab Herode occisorum, præconium Christi non loquendo, sed moriendo confitentur. Ex quo fundamento communior opinio Theologorum docet, quòd Martyrium conferat gratiam ex opere operato; cum ex speciali privilegio Christi, ejusque meritis iustificet parvulos, qui proprium actum bonum habere nequeunt. Plura de Martyrio, suo loco (c) videantur.

Gratiam ex opere operato.

(c) Tr. 7.

Dist. 1. q.

6. per totum.

1. q.

Sacramentum

Pœnitentiæ

quomodo

fit necessarium?

Et quibus?

(d) Ut dicitur

Tr. 10.

Dist. 3.

num. 13. &

14.

Evcharistia,

quomodo

necessaria?

(e) Tr. 10.

Dist. 3. q. 3.

Confirmatio

& Extrema Unctio,

an necessaria?

65. CONCL. III. Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel saltem in voto, necessarium est ad salutem necessitate mediij, ac etiam præcepti, omnibus adultis post receptum Sacramentum Baptismi in peccatum mortale relapsis. Patet hoc inter alia ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 2. ubi sic habetur. *Est autem hoc Sacramentum Penitentia lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.*

66. Dicitur notanter, *adultis post receptum Sacramentum Baptismi in peccatum mortale relapsis.* Siquidem ijs, qui iustitiam in Baptismo susceptam constanter tuerentur, non est necessarium opus hoc Sacramento, ut Concilium Tridentinum *loc. cit. cap. 1.* fatetur.

Et hoc adeò verum est, ut si quis nullius peccati mortalis sibi conscius sit, is neque ad Confessionem annuam obligetur. (d) Quamvis utique cuilibet, etiam nullius peccati mortalis sibi conscius, summè consulendum sit, in dicto casu hujus Sacramenti se se participem efficere, sola venialia cum debito dolore confitendo; quod prohi plerique, ob multiplices fructus Sacramenti Pœnitentiæ, sæpius per annum facere non intermittunt.

67. CONCL. IV. Sanctissimum Evcharistiæ Sacramentum adultis est necessarium necessitate præcepti. Ratio est clara; quia extat præceptum, ut quandoque ab adultis, præsertim tempore Paschali, atque in mortis articulo, hoc Sacramentum reverentè dignèque recipiatur; prout amplius ostensum suo loco. (e)

68. CONCL. V. Licet nullum extet præceptum de recipiendo Sacramento Confirmationis, aut extremæ Unctionis in mortis articulo, ac proinde hæc duo Sacramenta per se, ac simpliciter loquendo, non sint necessaria ad salutem, neque necessitate mediij, neque præcepti: adhuc tamen necessarium est, ut non contemnantur. Ita Scotus 4. dist. 7. q. 2. D. Bonaventura, & Theologi communiter. Nullibi enim reperitur præceptum clarè

clarum de receptione horum Sacramentorum, secluso contemptu. Et hoc additur ex eo: quia alioquin ratione contemptus peccatum committeretur; ut si quis ex eo omitteret horum Sacramentorum receptionem, quia ipsa parvi æstima-

ret. 69. Deinde certum est, ex dictorum Sacramentorum omissione posse graviter delinqui per accidens, seu ratione scandali: ut si quis ea recipere negligat in talibus circumstantiis, unde alij graviter scandalizentur. Eadem obligatio per accidens occurrere posset ob alias circumstantias: ut si ponatur casus, quo ingruentes tentationes aliter vinci non possent, nisi receptione hujus, vel illius Sacramenti: quamvis hic casus rarius accidere posse videatur, cum communiter sufficientes resistendi vires per Orationes, Confessionem, & alia remedia spiritualia obtineri valeant.

70. In praxi igitur serio admonendi sunt Fideles, ne hujusmodi Sacramentum negligant suscipere, præsertim oblatâ majori opportunitate illud recipiendi: tum ne se privent maximo fructu, virtute Sacramenti consequendo: tum ne illud contemnerent videantur. *Judicaretur enim contemptus si omnimodâ opportunitate oblatâ non susciperetur*, inquit Doctor Subtilis cit. quest. 2. solvens instantiam ex c. Omnes fideles, de consecr. dist. 5. adductam.

71. CONCL. VI. Sacramentum Ordinis, atque Matrimonij, non est necessarium singulis, sed tantum toti Ecclesiæ. Hæc Conclusio ex eo patet: quia neque singuli in particulari obligantur esse Sacerdotes, neque singuli tenentur nubere; quamvis, si nulli prorsus fierent Sacerdotes, aut nulli Matrimonium inirent, illinc Ecclesiastica Hierarchia hinc autem legitima propagatio populi Christiani hæc vi esset interitura.



Y y y y y

DI-